Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Queramus ergo que sit sermonis huius occasio. Idolum baal fuisse
iuxta ierusalem ad radices montis moria. in quibus syloa fluit.
non semel legimus. Hec uallis et parua campi planicies irrigua
erat et nemorosa. plenaque deliciis. et lucus in ea idola consecratus.
In tantam autem dementiam populus israhel uenerat. ut deserto templi
uicinio ibi hostias immolaret. et rigorem religionis delicie
uincerent. filiosque suos incenderent demoniis uel initiarent.
et appellabatur locus ille gehennon. id est uallis filiorum hennon.
Hoc regum uolumen et paralipomenon et ieremias scribunt
plenissime. et comminatur deus se locum ipsum impleturum cadaue-
ribus mortuorum. ut nequaquam tophet et baal. sed uocetur
poliandrium. id est tumulus mortuorum. Futura ergo supplicia
et pene perpetue quibus peccatores cruciandi sunt huius loci
uocabulo denotantur. Duplicem autem esse gehennam nimii ignis
et frigoris. in iob plenissime legimus. Nonne duo passeres
asse ueniunt. et unus ex illis non cadet super terram sine patre
uestro. Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite
ergo timere. multis passeribus pluris estis uos. Heret sibi ser-
mo dominicus. et sequentia pendent ex superioribus. Prudens
lector caue semper superstitiosam intellegentiam. ut non tuo
sensui attemperes scripturas. sed scripturis iungas sensum
tuum. et intellegas quid sequatur. Supra dixerat nolite
timere eos qui occidunt corpus. animam autem non possunt
occidere. nunc loquitur consequenter nonne duo passeres
asse ueneunt et unus ex illis non cadet super terram sine patre